



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis

Ferdinand <Köln, Erzbischof>

Coloniae Agrippinae, 1614

Benedictiones Ecclesiasticæ, eæ præsertim quæ ferè in Missalibus nó
extant, & primum

urn:nbn:de:hbz:466:1-39761

BENEDICTIONES ECCLESIASTICÆ.

*EA PRÆSERTIM, QUÆ FERÈ IN
libris Missalibus non reperiuntur, & extra Sacramen-
torum administrationem usurpari fidelibusq̄
impendi solent.*

BENEDICTIO AQUÆ LUSTRALIS.

N O T A T I O.



*Alexand. I.
epist. 1.*

Tsi modus consecrandi aquam benedictam in Missali-
bus ferè habeatur, cum tamen hîc ceteris benedictioni-
bus præmittere placuit, quod & ante Alexandri I. Pon-
tificis tempora in usu fuerit, & ad dæmonis insidias re-
primendas aliaque pericula auertenda valeat, ideoque
à Catholicis omnibus magno cum fructu nusquam
non haberi solet.

Diebus Dominicis, præparato sale & aqua, Sacer-
dos, alba vel superpelliceo indutus cum stola circa collum dependente,
hanc benedicendi formam sequetur: Primo dicet:

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Do-
mini.

Resp. Qui fecit coelum & terram.

Exorcismus Salis.

EXorcizote creatura salis, per Deum ✠ vi-
uum: per Deum ✠ verum: per Deum ✠
sanctum: per Deum qui te per Elizeum Pro-
phetam in aquam mitti iussit, vt sanaretur
sterilitas aquæ: vt efficiaris sal exorcizatum
in salu.

Benedictio aquæ Lustralis. 245

in salutem credentium: & sis omnibus te fumentibus, sanitas animæ & corporis: & effugiat atq; discedat à loco in quo aspersum fueris, omnis phantasia, & nequitia, vel versutia, diabolice fraudis omnisque spiritus immundus, adiuratus per eum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos & seculum per ignem.

Resp. Amen.

Oratio.

Immensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: vt hanc creaturam salis, quam in vsum generis humani tribuisti, bene ✠ dicere, & sancti ✠ ficare tua pietate digneris: vt sit omnibus fumentibus salus mentis & corporis: & quicquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omni que impugnatione spiritalis nequitia. Per Dominum.

Exorcismus aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ, in nomine Dei ✠ Patris omnipotentis, & in nomine ✠ Iesu Christi Filij eius, Domini nostri, & in virtute sancti ✠ Spiritus: vt fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare & explantare valeas cum Angelis suis apostaticis: per virtutem eiusdem

eiusdem Domini nostri Iesu Christi: qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. **Resp.** Amen.

Oratio.

DEus, qui ad salutem humani generis, maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius inuocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene **✠** dictionis infunde: vt creatura tua mysterijs tuis seruiens, ad abigendos Dæmones, morbosque pellendos, diuinæ gratiæ sumat effectum: vt quicquid in domibus vel in locis fidelium hæc vnda resperferit, careat omni immunditia, liberetur à noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici: & si quid est, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat: vt salubritas per inuocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum.

Hic mittit Sal in aquam, in modum Crucis, dicen-
do semel:

Commistio salis & aquæ pariter fiat, in no-
mine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠
sancti: *Resp.* Amen.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

DEus, inuictæ virtutis auctor, & insupera-
bilis imperij Rex, ac semper magnificus
triumphator: qui aduersæ dominationis vi-
res reprimis: qui inimici rugientis sæuitiam
superas: qui hostiles nequitias potenter ex-
pugnas: te Domine trementes & supplices
deprecamur ac petimus: vt hanc creaturam
salis & aquæ dignanter aspicias: benignus il-
lustres: pietatis tuæ rore sanctifices: vt vbi-
cunque fuerit aspersa, per inuocationem san-
cti tui nominis, omnis infestatio immundi
spiritus abigatur, terrorque venenosi serpen-
tis procul pellatur: & præsentia sancti Spiri-
tus, nobis misericordiam tuam poscentibus,
vbique adesse dignetur. Per Dominum no-
strum Iesum Christum filium tuum, qui te-
cum viuít & regnat in vnitate eiusdem Spiri-
tus Sancti Deus. Per omnia.

H h

Anti.

Antiphona.

A Sperges me Domine, hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.

Pfalm. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

Verf. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Et repetitur Antiphona, Asperges me.

Supradicta Antiphona, prædicto modo dicatur in asperzione aquæ benedictæ in Dominicis per totum annum: excepto quod in Dominica de Passione, & in Dominica Palmarum non dicitur: Gloria Patri. Sed post Pfalmum, Miserere. Repetitur immediatè Antiphona, Asperges me Domine. Excepto etiam tempore Paschali, scilicet à Dominica Paschæ vsque ad Pentecosten: quo tempore cantatur Antiphona.

Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro; alleluia: & omnes ad quos peruenit aqua ista, salui facti sunt, & dicent, alleluia, alleluia.

Pfalm. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

Verf. Gloria Patri, & Filio, &c.

Repetitur Antiph. Vidi aquam.

In octaua vero Pentecostes, resumitur Asperges me.

Finitis Antiphonis, supradicto modo, Sacerdos qui asperfit aquam, reuersus ad altare ante gradus altaris stans dicat:

Verf.

Benedictio aquæ Lustralis. 249

Verf. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

Tempore Paschali additur: Alleluia.

Resp. Et salutare tuum da nobis.

Verf. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

Oratio.

EXaudi nos Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus: & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis; qui custodiat, foueat, protegat, visitet atque defendat, omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. **Respond.** Amen.

**BAPTISMALIS AQUÆ BENEDICTIO QUANDO EXTRA CONSVETA
Paschæ & Pentecostes tempora
facienda est.**

N O T A T I O.



Iad manum non sit fons sacratus, aut quaqua ratione defecerit, vel effusa sit aqua illius, cōsecrabitur aqua per Sacerdotem, siue in templo, siue extra templum, prout res exiget, in hunc qui sequitur modum; nisi tamen magnitudo periculi hanc moram non admittat. Nam ex qualibet aqua naturali, baptismus potest administrari.

Hh 2

Exor-

Exorcismus.

EXorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis ✠ & in nomine Iesu Christi ✠ Filij eius, & in virtute Spiritus ✠ Sancti, Exorcizo te omnis virtus aduersarij; vt omnis incurfio Diaboli eradiceur & effugetur ab hac creatura aquæ: vt fiat fons faluens in vitam æternam: vt qui ex ea baptizatus fuerit, fiat templum Domini, & Spiritus sanctus habitet in eo in remiffionem peccatorum omnium, in nomine eiusdem Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia fecula feculorum. Amen.

Oremus.

EXaudi nos omnipotens Deus; & in huius aquæ substantia tuam immisce virtutem, vt abluendi per eam, & fanitatem simul & vitam consequantur æternam. Per Dominum nostrum.

Si hæc aqua in Baptisterio templi afferuanda est, subijciantur hic illæ chrismatis & sacri olei infusiones, quæ in Missalibus post consecrationem cerei Paschalis ponuntur: ac primum quidem de oleo catechumenorum in aquam benedictam in modum crucis fundens, dicit Sacerdos:

Sanctificetur & foecundetur fons iste oleo salutis, renascentibus ex eo in vitam æternam. **R.** Amen.

Deinde

Benedictio aquæ Baptismalis.

251

*Deinde de chrismate similiter in modum crucis
infundens, subdit:*

Infusio chrismatis Domini nostri Iesu
Christi, & Spiritus sancti paracleti, fiat
in nomine sanctæ Trinitatis. **Respon.**
Amen.

*Postea accipit ambas ampullas olei sancti & chrismatis; & de utro-
que simul in modum crucis infundendo dicit:*

Commistio chrismatis sanctificationis, &
olei vntionis & aquæ baptismatis pari-
ter fiat in nomine Pa ✠ tris & Fi ✠ lij
& Spiritus ✠ sancti. **Resp Amen.**

*Tunc miscet ipsum oleum cum aqua, circumquaque sua manu illud
spargens, & deinde aqua illa sic benedicta in vsum baptismi, in baptisterij
fonte asseruatur.*

BENEDICTIONES CAR- NIVM. ET CAETERARVM creaturarum tempore Paschal.

Adiutorium nostrum in nomine Domini.
Qui fecit cælum & terram.

Benedictio Agni.

Deus vniuersæ carnis conditor, qui Noe &
filijs suis de mundis & immundis anima-
libus præcepta dedisti, quique sicut olera ci-
borum, humano generi quadrupedia munda
edere permisisti. Qui Moyse nomen Adonay
indicare dignatus es, dicens: Ego sum, qui
H h 3 sum

Benedictiones carniū.

sum, & statui pactū & nomen tibi per petuū, quod dicitur in æternum. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, qui inuocantibus te inuocaris, & agnum in Ægypto Moyſi & populo tuo in vigilia Paſche comedere præcepiſti, in figuram agni Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius ſanguine omnia primogenita tibi de mundo redemiſti & in nocte illa omnia primogenita in Ægypto percuti præcepiſti, ſeruans populum tuum agni ſanguine prænotatum: dignare Domine Deus Omnipotens bene ✠ dicere, & ſancti ✠ ficare has carnes, vt, quicumque ex his comederint, omni benedictione cæleſti, & gratia ſaturati repleantur in bonis. Per Chriſtum Dom.

Benedictio diuerſarum carniū.

DEus qui per reſurrectionem Filij tui Paſchalia nobis gaudia contuliſti, auge & ſancti ✠ fica collecta nobis hæc dona carniū de tua largitate, mentes que noſtras pariter & corpora ſpiritualibus reple delitijs. Per eundem Chriſtum Dominum noſtr. Amen.

Benedictio ouorum.

SVbueniat quaſumus Domine tuæ benedictionis gratia huic ouorū creaturæ, de quibus pullos gallinarum dignatus es procreare
vt cibus

vt cibus salubris fiat tuis fidelibus in tuarum gratiarum actione sumentibus. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Benedictio Casei.

CReator & conseruator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis, tu Domine mitte Spiritum sanctum super hanc creaturam Casei, vt armata virtute cælestis ✠ defensionis, qui ex ea gustauerint, proficiat illi ad æternam salutem. Per Christ.

Benedictio Butyri.

Dignare Domine quæsumus Omnipotens, bene ✠ dicere & sanctificare hanc creaturam Butyri, quam ex adipe animalium producere dignatus es, vt quicumque ex populis tuis fidelibus ex ea comederint, omni benedictione cælesti, & gratiæ tuæ saturitate repleantur in bonis. Per Christum Dom.

Benedictio salis.

OMnipotens sempiternæ Deus, creator omnis creaturæ, cuius prouidentia liquentes aquas in hanc materiam solidauit, vt humanis vsibus famuletur, da nobis quæsumus, vt creatura Salis sit depulsio diabolicæ ✠ malignitatis, & reparatio animæ & corporis. Per Christum Dominum nostrum.

Benedi-

Benedictiones carniū.**Benedictio panis.**

Benedic Domine creaturam istam panis, sicut benedixisti quinque panes in deserto, ut sit nobis abundans in annum alimentum, gustantesque ex ea accipiant, tam corporis, quàm animæ sanitatem. Qui viuis & regnas Deus in secula seculorum, Amen.

Benedictio vini.

Domine Iesu Christe, qui in Chana Galileę ex aqua vinum fecisti, qui vitis es vera multiplica super nos misericordiam tuam & bene ✠ dicere & sancti ✠ ficare digneris hanc creaturam vini, quam ad necessitatem seruorum tuorum tribuisti, ut omnes, qui ex ea sumpserint, benedictionis tuę opulentia repleantur. Qui viuis & regnas Deus. Per omnia secula seculorum, Amen.

Benedictio ad quęcunque.

Bene ✠ dic Domine creaturam istam **N.** ut sit remedium salutare generi humano, & præsta per inuocationem sancti nominis tui, ut quicumque ex ea sumpserint, corporis sanitatem & animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Alia benedictio panum.

Domine sancte Pater omnipotens sempiternæ

terne Deus bene ✠ dicere digneris hos panes tua sancta spiritali benedictione vt sint omnibus cum fide ac reuerentia ac gratiarum actione sumentibus salus mentis & corporis, atq; contra omnes morbos ac vniuersas cunctorum inimicorum insidias auxilium. Per Dominum nostrum, Amen.

Asperio generalis super prædicta omnia.

Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, alleluia.

Et omnes ad quos peruenit aqua ista salui facti sunt, & dicent alleluia, alleluia.

Psal. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c. Repetitur.

Vidi aquam, vt supra vsque ad **Psal.** Sequitur Collecta.

Oremus.

Concede quaesumus Omnipotens Deus, vt qui festa Paschalia agimus, coelestibus desiderijs accensi fontem vitæ sitiamus Dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

**BENEDICTIO MULIERIS
PURIFICANDÆ POST****partum.****NOTATIO.***Diaz. Syn.
cap. 3.**Dist. 5. c. Si
mulier. &
De Purif.
mulier. &
vniço.*

IN ritu hoc, quē Christiana gratitudo requirit, seruanda est cōstitutio Synodi Diocesanae Anno 1612. feria 3. post Dominicā Inuocauit habitæ, quæ inhærendo Sacris canonibus in vsum reuocat antiquam consuetudinem plerisq; in locis propè collapsam; qua mulieres confirmata à partu valetudine primum ingressum in publicum ad Ecclesiam suam parochialem faciunt, vt Missæ sacrificio intersint, Deo pro puerperij beneficio gratias agant, & eiusque benedictionem Sacerdotali ministerio solenni ritu assequantur,

Porro mulieres, quæ ex illicito cōcubitu pepererunt, etsi nec ab ingressu Ecclesiæ, nec à Missæ sacrificio repellendæ sint: tamen, in pœnam peccati, & ad seruandam Ecclesiæ disciplinam, ritu hoc purificare ac benedicere non conuenit.

Quando Mulier post partū, expleto certo dierum numero ad Ecclesiam, vt moris est, purificanda accedit; Sacerdos indutus superpelliceo & stola, adiens ostium templi, mulierem, candelam accensam habentem in manu dextra, aspergat aqua benedicta, dicens:

Aspergat te Deus rore gratiæ ad vitam æternam, **Respon.**
Amen.

Deinde in Ecclesiam introducens Mulierem dicit:

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc nunc & vsque in seculum.

*Et ad altare eam adducens, iubet genua flectere,
& dicit sequentes preces:*

Psalmus 120.

Leuauit oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino: qui fecit cœlum & terram.

Non

Benedictio purificandæ Mulieris. 257

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit: neque dormiet, qui custodit Israël.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua: super manum dexteram tuam.

Per diem sol non vret te: neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc & vsque in seculum.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Sicut erat in principio, & nunc, &c.

Kyrie eleison. **C**hriste eleison. **K**yrie eleison.

Pater noster, qui es in cælis, &c.

Vers. **E**t ne nos inducas in tentationem.

Resp. **S**ed libera nos à malo.

Deinde Parochus ad Mulierem conuersus
dicet:

Vers. **S**aluum fac ancillam tuam Domine.

Resp. **D**eus meus sperantem in te.

Vers. **M**itte ei Domine auxilium de sancto.

Resp. **E**t de Sion tuere eam.

Vers. **N**ihil proficiat inimicus in ea.

Resp. **E**t filius iniquitatis non apponat nocere ei.

Vers. **E**sto illi Domine turris fortitudinis.

Resp. **A** facie inimici.

I 2

Vers.

258 **Benedictio purificandæ mulieris.**

Verf. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi: benedicere ✠ digneris hanc famulam, quæ ad imitationem sanctissimæ Virginis Mariæ, sese cum gratiarum actione, purificandam in templo exhibet: & cōcede propitius, vt, sicut ei prolis fecunditatem, & vires templum tuum ingrediendi contulisti: ita per intercessionem eiusdem immaculatæ Virginis, ab omni mentis & corporis contagio liberatam, ad sancta sanctorum pura facias mente accedere; & post finem præsentis vitæ, templum cæleste introire. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

Postea dicat:

Verf. Benedicamus Domino.

Resp. Deo gratias.

Benedictio Dei Patris ✠, & Filij ✠, & Spiritus sancti ✠, descendat super te, & maneat semper. **Resp.** Amen.

sacerdos si sit celebraturus Missam pro ea, induitur Sacerdotalibus indumentis, & celebrat Missam occurrentis diei, vel aliam votiuam. iuxta deuotionem mulieris: Aptissimè autem huic laudis officio congruit Missa Purifi-

Benedictio purificandæ Mulieris. 259

Purificationis B. Mariæ, quæ incipit, *Suscepimus*: quæ si legatur, omittentur i collecta, (*Hodierna die*) qua finita, dimittetur Mulier cum benedictione Domini in pace. Quod si ad celebrandam Missam non possit Sacerdos haberi; addet Parochus ad suprascriptas preces, *Euangelium, In principio erat verbum*. Aut potius, *postquam impleti &c. ex officio Purificationis B. Mariæ*: Et dicit, *Dominus vobiscum Resp. Et cum spiritu tuo.*

Vers. *Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam.*

Resp. *Gloria tibi Domine.*

In illo tempore: Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi tulerunt Iesum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Et ut darent hostiam (secundum quod dictum est in lege Domini) par turturum, aut duos pullos columbarum.

Resp. *Laus tibi Christe.*

Vers. *Post partum virgo inuiolata permansisti.*

Resp. *Dei genitrix intercede pro nobis.*

Oremus.

Deus qui hanc famulam tuam, de pariendi periculo liberaisti; & eam in seruitio tuo deuotam fecisti, concede, ut temporali cursu fideliter peracto, sub alis misericordiae tuæ vitam quietam & perpetuam consequatur. Per Christum Dom.

Ii 3

Vel,

260 **Benedictio purificandæ Mulieris.**

Vel, Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere.

Item, Deus qui salutis æternæ beatæ Mariæ virginitate foecunda, humano generi præmia præstitisti, tribue quæsumus, vt ipsam pro nobis intercedere sentiamus; per quã meruimus auctorem vitæ suscipere, **Dominũ nostrum.**

*Deinde Sacerdos præbet ei exosculandum librum
Missalem dicendo.*

Verf. Dominus det tibi suam pacem.

Resp. Et vitam æternam.

Si contigerit mulierem aduersa valetudine certo tempore à Purificatione impediri, differatur Purificatio donec vtunque restituta, in Ecclesiam ingredi possit, etiam si mortis immineat periculum: quia Purificatio extra facienda non est, neque substituenda alia Mulier purificanda in locum defunctæ puerperæ.

Missam siccam (quam vocant) neque ad purificandam mulierem, neque ad celebrandum coniugium, aut ad vllum alium vsum celebrari permittimus.

**BENEDICTIO MULIERIS
PRAEGNANTIS, VBI AUT MATRIS AUT
infantis vita periclitatur.**

Verf. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

Resp. Qui fecit cælum & terram.

Verf. Saluam fac ancillam tuam.

Resp. Deus meus sperantem in te.

Verf. Esto illi Domine turris fortitudinis.

Resp. A facie inimici.

Verf.

Benedictio Mulieris prægnantis. 261

Vers. Nihil proficiat inimicus in ea.

Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

Vers. Mitte ei Domine auxilium de sancto.

Resp. Et de Sion tuere eam.

Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiternus Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare vnitatem: quæsumus vt eiusdem fidei firmitate, hæc famula tua ab omnibus semper muniatur aduersis. Per Dominum nostrum.

Oremus.

Domine Deus omnium creator, fortis & terribilis iustus & misericors; qui solus bonus & pius es; qui de omni malo liberas Israël, qui electos Patres munere Spiritus tui sanctificasti: qui gloriosæ Virginis matris Mariæ corpus & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti: qui Ioannem Baptistã Spiritu sancto repleti, & in vtero matris

tris exultare fecisti: accipe sacrificium cordis
 contriti, ac feruens desiderium famulæ tuæ
N humiliter supplicantis pro conseruatione
 prolis debilis quam ei dedisti concipere,
 & custodi partem tuam, & defende ab omni
 dolo, & iniuria duri hostis: vt obstetricante
 manu misericordiæ tuæ, foetus eius, ad hanc
 lucem veniat incolumis, ac sanctæ regenera-
 tioni seruetur: tibi que in omnibus iugiter de-
 seruiat, & vitam consequi mereatur æternam.
 Per eundem Dominum nostrum, &c.

*Postea aspergatur aqua benedicta, dicendo
 Psalmum 66.*

Deus misereatur nostri, &c.

Verf. benedicamus Patrem, & Filium, cum sancto Spi-
 ritu.

Resp. Laudemus & superexaltemus eum in secula:

Verf. Angelis suis mandet de te.

Resp. Vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

Verf. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Visita, quæsumus Domine, habitationem
 istam, & omnes insidias inimici ab ea, & à
 præsen-

Benedictio impeditorum Coniugum. 263

præsenti famula tua longè repelle, & Angeli tui sancti habitent cum ea qui eam & foetum eius ab omni aduersitate & mortis periculo tua bene ✠ dictione custodiant. Per Dominum nostrum, &c.

Benedictio Dei omnipotentis Patris, ✠ & Filij, & Spiritus sancti descendat super vos & maneat semper, Amen.

**BENEDICTIO IMPEDI-
TORVM CONIUGVM.**

F It interdum (Deo hominum vindicante siue infidelitatem, siue libidinem) vt vir & mulier maleficio impediti, à Matrimonij vsu impediuntur, ad quam depellendam noxam, coniuges primùm omnium diligenti conscientia examine, & confessione Sacramentali præmissa, adibunt Sacerdotem, qui lecta Missa de Spiritu sancto, aut Deipara Virgine Maria, sequentes subiiciet orationes:

Verf. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

Resp. Qui fecit cælum & terram.

Verf. Saluum fac seruum tuum, & ancillam tuam.

Resp. Deus meus sperantes in te.

Verf. Mitte eis Domine auxilium de sancto.

Resp. Et de Sion tuere eos.

Verf. Nihil proficiat inimicus in eis.

Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

Verf. Esto eis Domine turris fortitudinis.

Resp. A facie inimici.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

K k

Oremus.

Oremus.

Domine Iesu Christe, Fili Dei viui, qui in paradiso terrestri, matrimonium instituiti in officium; & postmodum (pro nobis homo factus, & ex virgine natus) etiam in Sacramentū instituiti, & tua præsētia ac miraculorū tuorū primitijs dignāter illustrasti; quęsumus, vt per merita preces B. Virg. Marię matris tuę, beatorū Confessorū tuorum Vincētij & Iudoci, & omniū sanctorum, & sanctarum tuarum, hos coniuges Matrimonij Sacramento copulatos, bene ✠ dicere, & ab omni ligamento, fascino & maleficio Satanę (fœcunditatem & salutarem sobolis propagationem eis impartiendo) tua pietate liberare digneris. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas.

*Deinde tres Psalmi sequentes dicuntur:***Psalmus 1.****Beatus vir qui non abiit, &c.****Psalmus 90.****Qui habitat in adiutorio altissimi, &c.****Psalmus 127.****Beati omnes qui timent Dominum, &c.***Deinde preces sequentes.*

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater nost.
Verf.

Benedict. impeditor. Coniugum. 265

Verf. Et ne nos inducas in tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Verf. Saluum fac seruum tuum & ancillam tuam.

Resp. Deus meus sperantes in te.

Verf. Mittere eis Domine auxilium de sancto.

Resp. Et de Sion tuere eos.

Verf. Nihil proficiat inimicus in eis.

Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.

Verf. Esto eis Domine turris fortitudinis.

Resp. A facie inimici.

Verf. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Verf. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiternæ Deus, qui beatæ semper Virginis Marię vterum mirabiliter foecundasti, vt de Spiritu sancto, verū Deū & hominem, Saluatorē nostrum Iesum Christum conciperet: imploramus clementiam tuam, vt his famulistuis, Matrimonij nexu coniunctis, sublato omni dæmonis impedimento & maleficio, salutarem Matrimonij fructum largiri digneris. Per eundem Dominum Iesum Christū Filiū tuum, qui tecum.

Deinde benedicens vtrique subijciat:

Creator cæli & terræ, qui primis parētibus,

Kk 2

Matri-

266 **Benedictio impeditor. Coniugum.**

Matrimonij foedere societatis, dixit: Crescite & multiplicamini & replete terram; ille sua vos benedictione aduersus omnes diabolicas infestationes foecundet atque multiplicet; & Christianæ sobolis salutarem propagationem misericorditer vobis concedat, in nomine Patris ✠, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Postea aspergat illos aqua benedicta, & dimittat.

CAuendus verò crassus ille error, & rei sacræ manifestus abusus, quo, tali maleficio vexatis succurri posse aliqui putant; si vir & mulier, priori Matrimonio, legitimè & in facie Ecclesiæ contracto, mutuo consensu renuntient, & nouum coram Sacerdote contrahant. Cum enim nulla sit ratio, cur secundum Matrimonium contra eiusmodi maleficia remedium efficacius esse possit, quàm primum; verisimile est hoc procurari à demone, omnium maleficiorum auctore, vt res sacras, hominibus ludibrio exponat. Deinde Sacramento Matrimonij grauis irrogatur iniuria: quod, semel ritè contractum, neque Ecclesiæ auctoritate, neque mutuo partium consensu, solui potest; dicente Domino: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

B E N E D I C T I O**P E R E G R I N A N T I V M.**

QVando homines pij ac deuoti ad loca sancta religiosas peregrinationes, ex deuotione, aut alia quacunque causa pia & rationabili ingredi cogitant, ante profectio- nem benedictionem Sacerdotalem quandoque petunt. Hæc ipsis impendetur vtiliter, si, peccatis per confessionem Sacramentalem expiatis, sacrum reuerenter audiant, & in eo sacra communione, ceu vitæ æternæ viatico, percepta ad modum sequentem benedicantur.

Primo

Benedictio Peregrinantium. 267

*Primo dicat Parochus si plures fuerint; sin tantum vnus pluralem
numerum in singularem mutet.*

Saluos fac seruos tuos Domine : Deus meus sperantes
in te.

Mitte eis auxilium de sancto : Et de Sion tuere eos.

Vias tuas Domine demonstra eis : Et semitas tuas doce
eos.

Angelis suis mandauit de vobis : Vt custodiant vos in o-
mnibus vijs vestris.

In manibus portabunt vos : Ne offendatis ad lapides pe-
des vestros.

Super aspidem & basiliscum ambulabitis : Et conculca-
bitis leonem & draconem.

Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c. Amen.

Oremus.

DEus qui filios Israël per maris medium sic-
co vestigio ire fecisti : qui que tribus Ma-
gis iter ad te stella duce pandisti : quæsumus,
tribue his iter prosperum tempusq; tranquil-
lum, vt, angelo tuo sancto Raphaële comite,
ad eum quem pergunt locum, ac demum ad
æternæ salutis portum peruenire feliciter va-
leant. Per Christum Dominum nostrum,
Amen.

DEus qui Abraham puerum tuum de Vr
Chaldæorum eductum per omnes pere-
grina-

grinationis suæ vias illæsū custodisti, quæsumus, vt hos famulos tuos custodire digneris. Esto ipsis Domine in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu vmbra, in pluuia & frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in aduersitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, vt te duce quontendunt prosperè perueniant, & demum incolumes ad propria redeant. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

**BENEDICTIO PERÆ ET
BACVLI PEREGRINANTIVM.**

Oratio.

Domine Iesu Christe, qui tua ineffabili miseratione, Patris iussione, Spiritus sancti cooperatione, de cælo descendere, ouem quæ perditâ diabolica seductione voluisti quære, atq; proprijs humeris ad cælestis patriegregem referre: quiq; præcepisti natis matris Ecclesię orando petere, benè viuendo quære, ac pulsando perseuerare, quò citius valeant inuenire salutaris præmia vitæ; te humiliter inuocamus Domine, quatenus sanctificâdo ✠ benedicere, atque benedicendo has peras & hos baculos (**hanc peram & hunc baculum**) digneris san-

Benedictio peregrinantium. 269

ris sancti ✠ ficare, vt quicumque his pro tuo
nominis amore ad instar humilis armaturæ
vsi fuerint, sicque peregrinando suffragia san-
ctorum humili comitati deuotione quærere
studuerint, dextræ tuæ protecti munimine,
peruenire mereantur ad gaudia mansionis
æternæ; qui cum Patre, & Spiritu sancto vi-
uis & regnas Deus, per omnia secula seculo-
rum, Amen.

Cum datur pera, dicatur:

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, ac-
cipe hanc peram, habitum peregrinationis
tuæ, vt castigatus, & benè saluus atque emen-
datus peruenire merearis ad limina Sancto-
rum **N.N.N.** quo pergere cupis: vt peracto
itinere tuo, ad nos incolumis peruenire me-
rearis, Amen.

Cum datur baculus:

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, acci-
pe hunc baculum in sustentationem itine-
ris ac laboris tui ad viã peregrinationis tuæ,
vt vincere valeas cateruas inimicorū, & per-
uenire possis ad limina Sanctorū **N.N.N.** quo
pergere cupis, vt peracto itinere ad nos inco-
lumis reuerti merearis, ipso adiuuante qui
cum

cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat,
per omnia secula seculorum, Amen.

Vtilis est hæc peregrinantium benedictio, & instrumentorum, quibus vtuntur. Nam præter alia commoda, quæ adfert, reddit eos priuilegiorum, multarumque indulgentiarum capaces, quæ à diuersis Prælatiſ conceduntur peregrinantibus.

RECEPTIO PERE- GRINANTIVM.

Reuersi peregrini veniant ad Ecclesiam gratias Deo acturi, & ante altare genibus flexis Sacerdoti se repræsentent, qui stola indutus, dicat super eos:

Sit nomen Domini benedictum. **Ex** hoc nunc & vsque in seculum. **Kyrie** eleison. **Christe** eleison. **Kyrie** eleison. **Pater** noster. **Et** ne nos inducas in tentationem. **Domine** exaudi orationem meam: **Et** clamor meus ad te veniat. **Dominus** vobiscum: **Et** cum Spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiternæ Deus, nostrorum temporum vitæque dispositor, famulis tuis continuæ tranquillitatis largire subsidium, vt quos incolumes ad propria redire fecisti tua facias protectione securos. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitæte Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Demum

Demum dicatur super eos:

Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimiss. & c. cum Oratione: Indulgentiam & remissionem peccatorum, & c.

Aspergantur aqua benedicta, & ad propria remittantur.

EXORCISMI ECCLESIASTICI

VARI,

ET PRIMVS

INSTRUCTIO PASTORVM ADVERSVS INFESTATIONES DAEMONVM, & incantationum maleficia.

I.



Postolus hortatur Ephesios induere armaturam Dei, vt possint resistere aduersus insidias diaboli: & proposita difficultate certaminis, monet eos, vt in omnibus sumant scutum fidei, in quo possint omnia tela nequissimi extinguere, & perfecti stare.

II. Cum autem hostis ille capitalis nullas vnquam det nobis inducias, & nihilo minori clade etiam hodie grassetur, eadem arma etiam nunc sumenda sunt, quando neque minoris sunt efficaciam, neque minus necessaria, & cum iuxta inueteratum odium nostri omnium maximè nobis inuideat æternam salutem, eiusque subsidia nobis subtracta cuperet; tamen hac parte per violentiam nulli nocere potest. Nam peccatorum maculas, quæ solæ possunt impedire iter ad regnum Dei, non potest inuitis aspergere, sed in his quæ ad corporis incolumitatem pertinent, & in externis possessionibus (Dei permissione) homini etiam per violentiam magnas calamitates inferre potest; vt constat de beatis Iob, Antonio, & alijs. In quibus tamen gloriosissimè vincitur, dum hæc detrimenta per patientiam & obedientiam suscipiuntur, tanquam de manu Dei nobis illata, in vindictam peccatorum, vel in exercitium virtutum. Et in his qui sic affecti sunt, non est necessarium, imo nec expedit quidem remedium querere.

LI

III. V. O.